



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola LVIII. Gregorii Papae I. Ad Anatolivm Diaconvm  
Constantinopolitanvm. Homines Constantii episcopi commendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

optamus , Deo se inspirante conuerterint , etiamsi nihil illis competit , eam illis parati sumus concedere . Nam nulla occasione excusare se volumus , quos ad matris ecclesiæ sinum redire desiderabiliter expectamus . De hortis vero quos in capitulare transmiso ex substantia tali ecclesiæ vestræ competere signastis , vel prædictus vobis portitor indicabit , vel in subsequenti illuc personam transmittemus , cui inter alia curabimus euidenter iniungere , vt veritatem congrua indagatione cognoscat , & quidquid iustum fuerit faciat . Nam nos qui alias contristare contra æquitatem non patimur , multo magis vos , quos valde diligimus , tristes relinquere non valemus . De aliis autem causis , quale nostrum ad singula sit responsum , supradicti communis filii relatione cognoscetis . Scripta vero ad dilectissimum filium nostrum Anatolium diaconum pro commendatione hominum vestrorum , sicut voluistis , fecimus .

## EPISTOLA LVIII.

## G R E G O R I I P A P Æ I.

AD ANATOLIVM DIACONVM  
CONSTANTINOPOLITANVM.

Homines Constantii episcopi commendat.  
*Gregorius Anatolio diacono Constantinopolitano.*

**R**EVERENDISSIMVS frater & coepiscopus noster Constantius suos homines illuc pro ecclesiæ suæ utilitatibus festinans transmittere , tuæ eos dilectioni voluit commendari . Proinde in quantum , Deo iubente , potueris , eis salua ratione , vbi necesse fuerit , concurras , atque solatum feras ; quatenus dum tua fuerint , sicut dignum est , opitulatione suffulti , & ipsi illic minus valeant laborare , & prædictus frater noster ecclesiæ suæ melius utilitates adiutas , te suffragante , cognoscat .